



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Theologia Scholastica Secundum Viam Et Doctrinam D. Thomæ Aquinatis, Doctoris Angelici**

In Celebri Archiepiscopali Benedictina Universitate Salisburgensi, methodo  
& norma ibidem usitata publicè tradita, & in IV. Tomos digesta ; Qvorvm  
Primvs Tractat De Deo Vno Et Trino, Deq[ue] Creatura Angelica ...

**Mezger, Paul**

**Augustæ Vindelicorum, 1695**

Disputatio XIX. De distinctione peccatorum. ad q. 72.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74152](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74152)



Dices. Peccatum actuale requirit voluntarium actuale: sed illa omiffio non est actu voluntaria: ergo nec est actuale peccatum. Respond. requirit voluntarium actuale, actualitate voluntarii vel formalis, vel virtualis, concedo; solum formalis, nego. Illud consistit in presenti actu voluntatis; istud verò in permanentia actus præteriti in aliquo suo effectu.

Instabis. Qui non habet potentiam implendi præceptum, non peccat contra præceptum; nam ad impossibile nemo tenetur: sed in somno vel ebrietate nemo habet potentiam implendi præceptum: ergo tunc nemo peccat.

Respond. dist. maj. qui non habet potentiam tam antecedentem, quam consequentem, non peccat, concedo; qui non habet potentiam consequentem, nego. hæc enim cum sit ab ipsa voluntate causata, non impedit liberum voluntarium, nam etiam te lex obligat cum non potes, si per te fecerit, quod non potes.

8. Objicies tertio. Votum in ebrietate emissum non valet; neque formæ Sacramentorum in somno, vel ebrietate pronuntiata; tamen quis prævideat, se in somno talia verba locuturum, vel habeat intentionem ejusmodi verba proferendi supra debitam materiam, & faciendi quod facit Ecclesia: ergo neque omiffio facta tempore somni vel ebrietatis imputari potest in peccatum.

Respondeo negando consequentiam. Et ad primum disparitas est, quod votum ad sui substantiam requirit formalem & directam voluntatem se obligandi, quæ non reperitur in verbis tantum materialibus à dormiente vel ebrio prolatis; e contra ad peccatum sufficit voluntarium indirectum, virtuale, & in causa. Ad secundum ratio disparitatis est, quod Christus ad esse Sacramentale elevavit verba formaliter significantia, qualia non sunt verba ab ebrio & dormiente more pstraci prolata: item voluit, ut Minister in Sacramento conficiendo haberet moralem certitudinem debitæ materiæ, qualem habere non potest constitutus in tali statu.

9. Dices. Ad merendum non sufficit libertas indirecta: ergo neque ad peccandum. Respon-

deo negando consequentiam. Disparitatem dat S. D. hic q. 71. a. 5. ad primum dicens: *Plura requiruntur ad bonum, quam ad malum, eò quod bonum contingit ex integra causa, malum vero ex singularibus defectibus.* & ideo peccatum potest contingere, sive aliquis faciat, quod non debet, sive non faciendo, quod debet: sed meritum non potest esse, nisi aliquis faciat voluntarie, quod debet. Hæc S. D. Quorum sensus & ratio ulterior est: quod honestas nunquam est voluntaria, nisi voluntas directè moveatur ab honestate objecti, prout in Tract. priori ostensum est, & consequenter meritum & honestas non reperitur nisi in voluntario directo; at verò malitia, cum nec sit nec propriè possit esse directè & motivè voluntaria, cum nemo intendens malum operetur, tantum possit esse & sit voluntaria terminativè: atqui voluntarium terminativum duplici modo fieri potest, sive faciendo quod non debet, h. e. directè faciendo actum prohibitum, sive non faciendo quod debet, h. e. omitendo actum præceptum, quod est voluntarium indirectum, & indirectè terminans voluntatem.

Colliges ex dictis primò. Omiffionem vel effectum aliquem non ideo dici voluntarium in causa, quasi tota ratio voluntarii absolvatur in causa, sed quia ipsi ratio liberi & voluntarii convenit per denominationem extrinsecam à causa in effectum derivata, ita ut in ipso terminetur, ac consummetur voluntarium. Unde etiam peccatum omiffionis inchoativè quidem est in causa, consummativè verò in ipsa omiffione externa.

Colliges secundò. Quod de omiffione dixi. II. mus, ob paritatem rationis etiam esse dicendum de positivis effectibus voluntariis in causa. Ideoque non sufficit in confessione exponere causam malam, è qua sequitur effectus malus, sed oportet insuper exprimere effectum, qui in illa pravus fuit, aut prævideri debet, e.g. non sufficit se accusare de impuris cogitationibus, quæ fuerunt causa turpium motuum in somno fecutorum, sed etiam oportet ipsos motus exprimere, in quibus impuritas in voluntate inchoata consummatum.

## DISPUTATIO XIX.

DE

### Distinctione peccatorum.

ad q. 72.

**I**nspeimus naturam peccati secundum communem ipsius rationem, ut est in se ipsa, nunc ad magis particularem & specificam ipsius rationem cum S. D. progredimur, & principia, unde specifica peccatorum distinctio peti debeat, statuimus. Addimus etiam ob materiæ connexionem regulas, ex quibus numerica peccatorum distinctio cognosci queat, quas aliqui differunt ad Tractatum de penitentia.

Bb 3

ARTI-



## ARTICULUS I.

## Unde sumatur specifica distinctio peccatorum?

## SUMMARI A.

1. Divisio peccati in originale, personale, actuale, habituale, mortale, veniale, commissionis, omissionis.
2. Divisio peccati in carnalia, spiritualia, cordis, oris, & operis.
3. Divisio peccati in ea, quæ contra DEUM, proximum, & seipsum.
4. Divisio peccati in ea, quæ sunt ex infirmitate, ignorantia, & malitia; in propria & aliena.
5. Distinctio specifica peccatorum sumitur ab objectis specie distinctis.
6. Item ex formali diversitate præceptorum.
7. Quid sit diversitas præceptorum ex parte rei præceptæ?
8. Quomodo malitia privativa peccati possit specificari ab objecto.
9. Quo sensu lex divina & humana sint specie diversa?
10. Peccata omissionis indirectè accipiunt speciem ab objectis.
11. Diversa species peccatorum reperiri possunt in eodem physice actu.
12. Divisio peccati in mortale & veniale non semper est essentialis.
13. Peccata commissionis & omissionis in genere moris non semper essentialiter distinguuntur.
14. Cur Sacrum contemnere, & omittere sint peccata specie distincta.
15. Peccata per excessum & defectum opposita specie distinguuntur.
16. Divisio in peccata spiritualia & carnalia est adæquata & essentialis.
17. Circumstantia mutant speciem transeunt in conditionem objecti.

## §. I.

## Variæ divisiones peccatorum.

1. Juxta varias comparationes peccatorum ad objectum, principium, subjectum, circumstantias &c. diversæ quoque sunt peccatorum divisiones. Dividitur ergo primò in peccatum originale, & personale. Illud est, quod per originem, seu generationem ab Adamo in posteros transfunditur: istud, quod propria peccantis voluntate committitur. Secundò in actuale, & habituale. Illud est actus malus difformis regulis morum: istud est macula, quæ à peccato præterito in anima relinquitur. Tertiò in mortale, & veniale. Illud est & dicitur, quod animæ mortem infert privando ipsam gratiâ & charitate, & inducendo reatum poenæ æternæ: istud est, quod tantùm diminuit fervorem charitatis, & solùm inducit reatum poenæ temporalis. Quartò in peccatum omissionis, & commissionis, de quibus supra.
2. Quintò in peccata carnalia, & spiritualia. Carnalia sunt, quæ in delectatione carnali perficiuntur, ut gula, & luxuria. Spiritualia, quæ perficiuntur in delectatione spiritali, h. e. mentali; quamvis etiam versentur circa aliquod ob-

jectum corporeum, & materiale, ut superbia, invidia, avaritia &c. Sextò in peccata cordis, oris, & operis, juxta varios gradus, quibus ad sui consummationem peccata ascendunt: nam primò peccatum concipitur cogitatione, deinde manifestatur locutione, tandem completur opere.

Septimò dividitur in peccata contra DEUM, proximum, & seipsum; nam licet generaliter loquendo omnia peccata partim sint contra DEUM, in quantum sunt transgressiones legis æternæ, partim contra nosipsum, in quantum nobis nocent, speciali tamen ratione, peccata formalibus objectis & motivis illarum virtutum, quibus peccata opponuntur, illa dicuntur peccata contra DEUM, quæ contrariantur illis virtutibus, quibus rectè disponimur in ordine ad DEUM per nostras actiones attingendum: qualia peccata sunt blasphemia, impenitentia, desperationis, &c. quæ adversantur virtutibus Theologicis, item penitentia & religionis. Illa dicuntur peccata contra proximum, quæ opponuntur iis virtutibus, quibus rectè disponimur in ordine ad proximum, qualia peccata sunt homicidium, furtum, &c. quæ pugnant contra justitiam & partes ipsius. Tandem illa peccata dicuntur contra nosipsum, quæ adversantur illis virtutibus, per quas in moderandis nostris passionibus nos rectè habemus erga nosipsum, & ejusmodi peccata sunt Luxuria, gula, timiditas, &c. quæ sunt contra temperantiam, fortitudinem, &c.

Octavo dividitur in peccatum ex infirmitate, ignorantia, & malitia. Primi generis sunt, quæ oriuntur ex gravi tentatione, & motione appetitûs sensitivi tum irascibilis, tum concupiscibilis. Secundi generis, quæ ex ignorantia culpabilis, vel vincibilis ortum trahunt. Tertii generis; quæ vel ex sola malitiosa determinatione voluntatis, nullâ passione, vel ignorantia præventæ committuntur. Tandem dividuntur peccata in propria, & aliena. Illa sunt actus ipsius peccantis; illa, quæ licet sint actus alterius suppositi, nobis tamen imputantur ratione consilii, suasionis, convenientiæ, &c. Ex his præmissis divisionibus cum certum sit, aliquas tantùm esse accidentales. Quæritur, unde nam desumenda & agnoscenda sit specifica distinctio peccatorum?

## §. II.

## Regula distinctionis specifica.

CONCLUSIO PRIMA. Peccata sumuntur specificam distinctionem ab objectis specie distinctis, quæ respiciunt. S. D. q. 72. a. 1.

Ratio est primò. Inde peccata sumuntur specificam distinctionem, unde accipiunt speciem, sed hanc accipiunt ab objecto: ergo. Minor probatur. Actus humanus sumit speciem ab objecto veluti ex priori Tract. suppono: sed peccatum est actus humanus: ergo.

Ratio est secundò. Species actus humani & voluntarii magis accipitur ex eo, quod per se qua-



quam quod per accidens à voluntate intenditur : sed quod à voluntate per se intenditur , non est inordinatio , & averfio , quæ non nisi indirectè , & per accidens intendi potest ; ipsa verò conversio & tendentia in objectum per se intenditur : ergo specificatio peccati magis debet accipi ex objecto , & habitudine ad illud , quàm ex inordinatione , quæ vel in objecto , vel in actu reperitur.

6. **CONCLUSIO SECUNDA.** *Diversitas formalis peccatorum etiam cognoscitur ex diversitate præceptorum , si sint diversa ex parte rei præceptæ , non verò , si tantum sint diversa ex parte præcipientis. S. D. 2. 2.*

7. Notandum. Tunc præcepta esse diversa ex parte rei præceptæ , quando præcipiuntur actus ad diversa virtutum motiva pertinentes ; ita præceptum jejunandi , & Sacrum audiendi die festivo sunt diversa ex parte rei præceptæ , quia prius pertinet ad motivum temperantiæ , posterius ad motivum religionis. Præcepta diversa ex parte præcipientis & principii sunt , quæ ab alio & alio Superiore , aut legislatore imponuntur. Quo modo distinguuntur præcepta in Juris divini , naturalis , Ecclesiastici , Civilis , &c. Hoc posito

Ratio primæ partis est. Quoties præcepta sunt diversa ex parte rei præceptæ , toties peccata opposita habent diversas deordinationes & repugnantias cum distinctis motivis virtutum : sed tunc peccata habent specificam distinctionem , ut patet ex præcedenti conclusione : ergo specifica distinctio peccatorum rectè desumitur & agnoscitur ex diversitate præceptorum ; si sint diversa ex parte rei præceptæ.

Ratio secundæ partis est : Quia distinctio ex parte præcipientis , est tantum materialis , neque formalis distinctio motus solet peti ex parte principii , sed ex parte termini : sed actus humanus , & consequenter peccatum , est quidam motus & tendentia ad objectum : ergo ipsius formalis distinctio non debet peti ex parte principii , quod est præcipiens ; sed ex parte termini , qui est objectum. Et ideo desiderium furandi & ipsum furtum , quamvis distinctis præceptis in Decalogo prohibeantur , imò licet ipsum furtum sit jure divino , naturali , civili prohibitum , nihilominus formaliter non distinguuntur.

## §. III.

*Solvuntur Objectiones.*

8. **Objectiones contra primam conclusionem.** Privationes distinguuntur penes formas oppositas : sed peccatum in nostra sententia formaliter est privatio : ergo ipsius formalis distinctio potius debet peti à forma , h. e. rectitudine opposita , quàm ab objecto.

Confirmatur. Distinctio formalis & specifica non debet accipi à principio materiali , sed formalis : atqui conversio ad objectum tantum pertinet ad materiale , e contra rectitudinis privatio ad formale peccati : ergo distinctio specifica peccatorum magis est accipienda ex privatione , quàm ex conversione ad objectum.

Respond. juxta sup. dicta distinguendo minorem : peccatum secundum reduplicatam & abstractam rationem peccati & malitiæ est formaliter privatio , concedo ; peccatum secundum ad-

quam rationem mali in concreto , nego : ergo formalis distinctio peccati secundum reduplicatam rationem malitiæ accipi debet à rectitudine opposita , concedo ; secundum rationem malitiæ in concreto & adæquatè sumptam , nego.

Ad confirmationem quoque disting. min. Conversio ad objectum seorsim accepta & comparata ad malitiam formalem , pertinet ad ipsius materiale , concedo ; accepta concretè & in sensu composito ipsius , nego.

Objectiones contra secundam conclusionem primò. Difformitas ad legem constituit malitiam peccati : ergo difformitas ad leges specie distinctas constituit distinctam speciem malitiæ : atquæ lex divina , humana &c. sunt leges specie distinctæ : ergo.

Secundò. Inobedientia contra legem divinam est alterius speciei , quàm inobedientia contra legem humanam : ergo etiam peccata contra legem divinam specie differunt , à peccatis contra legem humanam.

Respondeo ad 1. distinguendo antecedens : Difformitas ad legem ut est regula actus humani , constituit malitiam peccati , concedo ; ut est actus legislatoris , nego. Sed lex divina & humana sunt leges specie distinctæ , consideratæ tanquam actus legislatoris , concedo ; tanquam regulæ actus humani afferentes determinatæ virtutis honestatem , nego min. & consequent. Ad 2. nego consequentiam. Disparitas est , quòd respectu inobedientiæ præceptum & lex pertinet ad objectum , sitque terminus ad quem , respectu verò aliorum peccatorum tantum sit terminus à quo receditur , unde ipsis non inducit distinctionem specificam.

## §. IV.

*Corollaria.*

**Colliges ex dictis primò.** Etiam peccata omissionis specificam distinctionem indirectè accipere ex objecto , nimirum ratione actuum oppositorum. Nam peccatum omissionis est privatio actus præcepti ; ille quippe peccato omissionis , qui non facit , quod præcipitur. Cum igitur forma peccato omissionis opposita sit aliquis actus virtutis , qui suam speciem sumit ab objecto ; ideo mediatè & indirectè etiam peccatum omissionis suam speciem accipit ex illo objecto ; siquidem negatio & affirmatio reducuntur ad idem genus , & privationes distinctionem accipiunt à formis oppositis.

**Colliges secundò.** In eodem physice actu reperiri diversas species peccatorum , quoties reperitur repugnantia cum distinctis motivis diversarum virtutum , vel saltem diversarum rectitudinum & honestatum ejusdem virtutis ; sic v. g. adulterium à persona sacra commissum triplicem inducit malitiæ speciem : quia tribus præceptis formaliter distinctis , ac tribus motivis distinctis diversarum virtutum adversatur : primò motivo & præcepto castitatis de non accedendo ad non suam ; secundò motivo & præcepto Religionis , de non violando vorum ; ac tertio motivo & præcepto justitiæ de non injuriôsè usurpandi rem alienam.

**Colliges tertio.** Divisionem peccati in morale

tale



tale & veniale non esse essenziale, nisi cum peccatum est ex genere suo veniale. S. D. a. 5. Ratio 1. est: quia diversitas essentialis & specifica sumitur ex formali diversitate objecti: sed peccatum veniale, quod est tale ex defectu sufficientis deliberationis, vel ex parvitate materiae, ut leve furtum, habet idem objectum formale cum peccato mortali: ergo specie essentiali non distinguuntur.

Ratio 2. partis est: quia peccatum veniale ex genere suo semper habet objectum formaliter distinctum à peccato ex genere suo mortali, ut v. g. verbum otiosum à contumelia, &c.

13. Colliges quartò. Peccatum commissionis & omissionis per se loquendo in genere moris non semper essentialiter distingui; quia possunt habere eandem oppositionem cum proximo motivo ejusdem virtutis. Exemplum dat S. D. a. 6. Avarus sive non det suum, cui debet, quod est peccatum omissionis; sive auferat alienum, quod est peccatum commissionis, semper exercet eandem oppositionem cum virtute justitiæ, quæ ex eodem motivo proximo servandi æqualitatem inter jus unius & debitum alterius, non minus vetat auferre alienum, quàm præcipit reddere alienum. Dixi, in genere moris: Nam physicè quidem differunt propter diversum modum tendendi non formalem & moralem, qui attenditur ex repugnantia cum motivo virtutis, sed materialem & entitativum, siquidem commissio est actus, ommissio autem carentia actus.

14. Dices: Sacrum contemnere est peccatum specie distinctum ab omissione Sacri, & tamen utrumque peccatum opponitur eidem virtuti Religionis: ergo peccatum commissionis & omissionis specie distinguuntur.

Resp. Distinguendo alterum membrum anteced., utrumque peccatum opponitur eidem virtu-

ti secundum diversa motiva proxima, concedo; secundum idem, nego antecedens, & consequentiam. Nam motivum proximum prohibendi contemptum Sacri est intrinseca & naturalis reverentia, quam merentur res DEO sacra: at motivum proximum præcipiendi actionem Sacri est congruitas quædam, ut reverentiam DEO debitam tali tempore, & per talem determinatum actum exhibeamus.

Colliges quintò. Peccata per excessum & defectum commissa, e. g. prodigalitati, & avaritiæ semper esse specie distincta, quia semper habent diversam repugnantiam cum diversâ rectitudine & honestate virtutis v. g. liberalitatis S. D. a. 1.

Colliges sextò. Divisionem peccatorum in spiritualia & carnalia esse adæquatam & essentialem: nam omne peccatum in delectatione perficitur: Vel ergo delectatio est carnalis, vel spiritualis. Carnalis delectatio est vel in cibo & potu, & hinc oritur peccatum gula: vel in rebus, & est peccatum luxuria. Si est delectatio spiritualis, h. e. quæ consummatur in apprehensione alicujus rei ad votum habitæ, ut inquit S. D. a. 3. & sic peccata spiritualia rectè enumerantur, superbia, invidia, avaritia, ira, accidia: nam licet hæc quoque peccata veniant circa res corporeas, tamen in illis non corporeas, sed spiritualis delectatio quæritur.

Colliges septimò. Speciem essentialem peccatorum non diversificari ex circumstantiis, nisi cum transeunt in rationem objecti, ut habet S. D. a. 9. quia quamdiu non transeunt in rationem objecti ex speciali repugnantia cum honestate virtutis, [ubi appellantur circumstantiæ speciales mutantes] tandiu sunt mera accidentia adhumani: sed accidentia non diversificant speciem essentialem: ergo.

## ARTICULUS II.

### Unde desumatur numerica distinctio peccatorum.

#### SUMMARI A.

1. Quando nam plura objecta causent distinctas malitias?
2. Respondetur ad objecta instantias.
3. Interruptio moralis causat individualem distinctionem in peccatis.
4. Regula cognoscendi moralem interruptionem.
5. Sola non retractatio non sufficit ad constituendam unitatem internam, & opus externum.
6. Quid agendum in nimia frequentatione peccatorum.
7. Quando nam explicanda sit in confessione mora temporis?
8. Explicanda in confessione probabilis pluralitas objectorum.
9. Plures actus externi subordinati intra unam speciem non necessario exponuntur in confessione.
10. Sacerdos in statu peccati plures absolvens committit plura peccata.
11. Instantia de consecratione & dispensatione plurium hostiarum depellitur.
12. Quando nam diuturna desertio rei alienæ unum numero peccatum?

#### §. I.

##### Distinctio numerica ex objecto.

Notandum, quòd malitia moralis aliquando in pluribus, aliquando in uno solo physice actu sæpius multiplicetur, aliquando verò in pluribus actibus servet moralem unitatem. Quæritur ergo, unde agnosci debeat individualitas numerica distinctio peccatorum exprimens in confessione? pro cuius practicæ & perutilis questionis solutione sit.

CONCLUSIO I. Tot sunt numero distinctæ malitiæ etiam in eodem physice indivisibili actu quot sunt objecta actus ejusdem rationis, inter se tamen nullam unitatem moralem, connexionem, vel subordinationem habentia; e. g. si quis uno actu occidat tres homines, committit tria distincta homicidia exponenda in confessione, siquidem tria distincta



*distincta, quod singuli habebant in suam vitam & membra, violavit.*

Ratio est. Malitia actus attenditur secundum ordinem ad objectum recte rationi consonum: unde, ubi est specifica diversitas objectorum, ibi reperitur specifica diversitas peccatorum: ergo pari modo, ubi reperitur individualis distinctio objectorum, similiter reperitur individualis distinctio peccatorum.

¶ Dices primò. Voluntas dandi elemosynam 10. pauperibus, non habet tot distinctas numero bonitates: ergo etiam voluntas occidendi, vel spoliandi 10. homines non habet distinctas 10. malitias. *Secundò.* Non posset determinari, quot malitias haberet actus, quo quis vellet extinguere integram familiam, vel evertere integram curiam, in qua sunt multi homines, quorum tamen numerus determinatus ignoratur. *Tertiò.* Sequeretur, quòd voluntas occidendi infinitos homines contraheret infinitas malitias. *Quartò.* Sequitur, auferentem 100. aureos committere 100. peccata mortalia.

Respondeo ad 1. Si in voluntate dandi 10. elemosynas intendatur una solum honestas, ita ut numerus accipientium se tantum per accidens habeat, tunc fore unam simpliciter & formaliter bonitatem, æquivalenter tamen multiplicem, siquidem re ipsa æquivaleret 10. largitionibus elemosynarum. Si tamen per se & directè intendatur singula honestates largitionum, tunc & bonitatem fore formaliter multiplicem, quia honestas directè, non autem indirectè volita suam bonitatem refundit in actum, prout dixi in sup. Tract.

Ad 2. Respond. tot fore individualiter distincta peccata, quot sunt personæ illius familiæ non invincibiliter ignoratæ: tot quippe sunt objecta malæ voluntatis per se completa & integra, quot sunt personæ, quibus vult mortem inferre. Nec refert, quòd illa in una domo, aut familia contineantur; nam si in illa domo vel familia esset mater delinquentis, & diversæ personæ etiam Clericales non invincibiliter ignoratæ, illa voluntas contraheret etiam specie distinctas malitias contra pietatem parentibus debitam, & contra virtutem religionis.

Dices: Qui gregem ovium abigeret, non ideo committeret tot peccata, quot sunt oves, qui comburit totam domum, non committit tot peccata, quot sunt partes domus; ergo neque is, qui vult occidere totam familiam, habet tot malitias distinctas, quot sunt personæ, cum & ipsæ sint partes unius familiæ.

Respond. negando consequentiam: Nam familia tantum est una fictione juris, quæ unitas non tollit, quo minus qualibet persona habeat jus completè distinctum à jure alterius in suam vitam. Atqui in domo, grege, acervo nummorum, &c. partes omnes ita sunt aggregatione unum, ut in singulis non reperitur aliquod jus speciale, & completum, quale est in singulis hominibus.

Ad 3. Respond. Cum infinitas personarum non nisi syncategorematicè apprehendatur in intellectu; ideoque ejusmodi actum, quo aliquis vult in finitis hominibus nocere, tantum contra-

*R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.*

here malitiam interpretativè & æquivalenter infinitam. Ad 4. negatur sequela ex dictis: quia centum aurei bene possunt coalescere in unam pecuniæ summam, non autem distincta hominum jura, quæ per homicidium v. g. violantur.

## §. II.

### *Distinctio numerica ex interruptione actus.*

**CONCLUSIO 2.** *Voluntas peccandi moraliter interrupta causat distinctionem individualem in peccatis tam internis, quam externis. Ita communis DD.*

Ratio est: Tunc peccata numericè multiplicentur, cum destruitur moralis unitas ipsorum: sed quoties voluntas peccandi moraliter interruptitur; toties destruitur illorum moralis unitas: ergo. Minor probatur. Mutato principio, à quo actus tam interni quàm externi in suo esse morali & voluntario dependent, mutantur moraliter ipsi actus: sed tale principium est voluntas: ergo mutatà voluntate mutantur actus voluntarii sive interni, sive externi. Subsumo. Atqui per moralem interruptionem mutatur & distinguitur individualiter actus voluntaris: ergo similiter mutantur & distinguuntur ceteri actus sive interni, sive externi, qui suum esse morale ab actu voluntatis derivant.

Si petas, quandonam censei debeat voluntas moraliter interrupta? Respond. Quando actus voluntatis nec in se formaliter, nec in aliquo effectu virtualiter, nec in prudenti hominum existimatione moraliter perseverat. Id porro contingit multipliciter. Primò cum successivè ponuntur plures actus circa plura objecta completè & totaliter distincta, ut si, postquam percussisti Petrum, percutias Paulum. Secundò, cum prior voluntas revocatur, aut per penitentiam retractatur. Tertiò, cum quis deliberatà voluntate cessavit ab aliquo actu, veluti si quis morosam delectationem ex aspectu foeminae conceptam, voluntariè deserat, & postea sive ex longo sive ex parvo intervallo repetat. Dixi, si quis voluntariè deserat; nam, si indeliberatè ex aliqua distractione animum aliò divertat, & mox ad eandem delectationem redeat, censebitur unum numero peccatum. Quartò, cum inter plures actus nullo voluntatis præcedentis effectu inter se connexos tantum temporis intercedit, ut prudentum judicio discontinuari censeantur: non enim quælibet interruptio physica actum in genere moris discontinuat: ita prandium moraliter non interruptitur per lectionem novorum, brevem scriptionem litterarum, aut alterius negotii expeditionem; neque Missa per horariam concionem; neque recitatio Breviarii per brevem interlectionem &c. Quintò, si actiones externæ ad se invicem subordinationem aut dependentiam habent: ita impudici tactus fornicariam copulam præcedentes, & ex ipsius intentione assumpti non constituunt distinctum peccatum ab ipsa fornicatione, quia ad ipsam tanquam partes & dispositiones ordinantur, & explicato peccato fornicationis, etiam ipsi sufficienter intelliguntur. At si exercentur absque intentione fornicandi, etiam si postea sequatur fornicatio, constituunt distinctam

Ce

distinctam



distinctam malitiam imperfectæ molliciti in confessione specialiter exprimendam. Similiter tactus copulam consequentes constituunt distinctum peccatum specialiter in confessione exprimendum, quia non ex natura rei, sed malitiâ operantis copulam consequuntur, suntque dispositiones ad novam fornicationem.

## §. III.

*Corollaria practica ex dictis.*

5. Colliges ex dictis primò. Solam temporis unitatem, vel primam voluntatis non retractatæ habituales perseverantiam non sufficere ad constituendam unitatem numericam inter actum voluntatis internum, & opus externum: aliàs quippe qui primo anni die habuisset voluntatem furandi, eamque non retractatam ultimo anni die expletet, committeret unum numero peccatum; quod est prudentum existimationi contrarium.
6. Colliges secundo. Quamvis per se loquendo ad confessionis integritatem requiratur, ut penitens exponat probabilem numerum peccatorum interiorum, quæ solâ interruptione & repetitione voluntariâ multiplicantur, ut v. g. odii interni, morosæ delectationis, cum tamè propter nimiam frequentationem ejusmodi actuum sæpe sit impossibile illorum peccatorum numerum inire: ideo juxta communem doctrinam penitentem satisfacere, si moram temporis in confessione explicet, quâ fuit versatus in statu habituato ad similia peccata, v. g. si quis dicat, se per annum, tot & tot menses, vel hebdomades odium & inimicitiam contra aliquem gessisse, & quoties aspectus vel memoria ipsius occurrit, actus odii eliquisse. Si meretrix dicat, se tot & tot annis questum meretricium cum cujusvis generis hominibus promiscuè exercuisse, &c.
7. Colliges tertio. Quamvis mora temporis per se loquendo pertineat ad circumstantias merè aggravantes, quæ secundum probabilem sententiam non necessariò sunt explicandæ in confessione; tamen si quis longiori temporis spatio in aliquo peccato interno se hæsisse existimat, consultissimum esse [ut monet Cardin. de Lugo de Sac. poen. disp. 16. sect. 4.] ut probabilem moram temporis in confessione exprimat; quia perdifficile est, ut homo longiori tempore ita sit defixus in unum aliquod objectum, quin aliquando plenâ libertate ab ejus cogitatione, affectuque discedat.
8. Colliges quarto. Cum malitia moralis in actu voluntatis toties multiplicetur, quoties opus volitum est multiplex: ideo in confessione exponendam esse probabilem objectorum pluralitatem. e. g. si habuisti voluntatem totâ Quadragesimâ non jejunandi, non satisfacis, te simpliciter accusando de voluntate non jejunandi, una enim omisso jejunii cum altera nullam habet moralem connexionem. Nec forma satisfacit, si dicat, se habuisse animum carnaliter peccandi, si se pluribus voluit prostituere. Si conjugatus peccat cum conjugata, exprimere debet circumstantiam conjugatæ, quia non tantum violat jus suæ conjugis, sed etiam mariti illius, cum cujus uxore peccat, quæ sunt jura & objecta distincta. Ita si

pluribus scandalum dedisti, vel injuriam, detrahendo, furando, &c. intulisti, exprimendus est probabilis numerus, cum singularum personarum jura, vel detrimenta nullam inter se habeant moralem connexionem.

Colliges quintò. Non necessariò exponendum esse numerum illorum actuum exteriorum, qui ex una voluntate peccaminosa circa idem objectum, & intra eandem speciem repetuntur: ut si ex uno impetu iræ ejusdem speciei blasphemiam, contumeliâ, &c. circa eandem personam, vel eodem tractu plura falsa juramenta super eadem re repetantur.

Colliges sexto. Sacerdotem in statu peccati mortalis scienter plurium confessionis successivè excipientem, tot committere sacrilegia, quot penitentes absolvit, cum enim singulorum penitentium confessio & absolutio constituant unum integrum & completum Sacramentum penitentiam, tot pariter sunt distinctæ sacrilegæ administrationes Sacramenti. Nec obstat, quòd Sacerdos eadem intentione, sine loco, situ, & tempore continuato istas confessiones audiat: hæc quippe omnia nequaquam sufficiunt ad tribuendam his administrationibus penitentiam unitatem moralem, cum ex parte objecti nulla sit connectio & coordinatio, aliàs qui in pugna injusta plures successivè occideret, qui eadem nocte & lecto cum pluribus foeminis carnaliter peccaret, qui in Navititate D. tres Missas in statu peccati mortalis consequenter legeret, unum tantum mortale peccatum committeret.

Dices: Hinc sequitur, quòd Sacerdos in statu peccati mortalis simul unâ consecratione concilians mille hostias, committat mille peccata mortalia, cum qualibet hostia consecrata sit integrum & completum Sacramentum Corporis Christi. Item, quòd pluribus dispensans sacram Eucharistiam in statu peccati, toties peccaret, quot sunt communicantes; sed hoc videtur absurdum: ergo.

Respond. negando utramque sequelam. Et ad 1. dico, objectum consecrationis esse materiam consecrabilem, supra quam hic & nunc verificatur demonstrativæ voces, *hoc est, hic est, &c.* Hæc autem materia est una, etiamsi ex pluribus particulis aggregetur. Nec refert, quòd illa particula post consecrationem propter diversitatem specierum dici possint multa Sacramenta, esto enim sint multa ut in facto esse, non tamen sunt multa, prout considerantur in fieri, seu quantum subsistant uni eademque actioni consecratiivæ, cujus unitas à temporis & significationis unitate desumitur: neque consecratio ex multiplicabili ne hostiarum contrahit novam deformitatem & repugnantiam cum virtute religionis.

Ad secundam sequelam Respond. Dispensationem S. Eucharistiam se habere sicut distributionem ciborum in convivio, quæ sive multis, sive paucis convivis exhibeatur, tamdiu servat suam unitatem, quamdiu tempus convivendi, & ceremoniam conviviales moraliter non interrumpuntur: atqui actio judicialis, qualis est sacramentalis absolutio penitentis, completur & absolvitur, quoties super reum sententia pronuntietur; cum ergo, quot penitentes absoluntur, tot



pronuntientur distinctæ sententiæ, constat diversorum pœnitentium absolutiones nullam habere subordinationem, aut unitatem moralem.

13. Colliges septimò. Illum qui longo tempore omittit restitutionem rei alienæ injustè detentæ, non nisi unum peccatum committere, quamdiu voluntas detinendi rem alienam per contrariam

voluntatem non revocatur, cum prima voluntas in ipsa rei detentione, seu effectu voluntario virtualiter remanere, & omissionem restitutionis causare censetur, donec illa voluntas per revocationem interrumpatur, vel moralis influxus ipsius per subsecutam impotentiam restituendæ discontinuetur.

## DISPUTATIO XX.

DE

### Comparatione & gravitate peccatorum.

ad q. 73.

**I**N peccatis ad se mutuo comparatis consideratur in primis connexio, deinde æqualitas vel inæqualitas peccatorum in gravitate tum essentiali, tum accidentali, quæ omnia Angelicæ doctrinæ ordine paucis discutimus.

#### ARTICULUS I.

*An omnia peccata sint connexa?*

##### SUMMARIÆ.

1. *Afferitio negativa probatur auctor. S. Script.*
2. *Et ratione.*
3. *Quomodo secundum D. Jacobum offendens in uno sit omnium reus.*
4. *Discrimen inter virtutes & vitia.*
5. *Irremissibilitas unius peccati sine altero non probat nisi similitudinariam connexionem.*

##### §. I.

*Resolutio negativa.*

**CONCLUSIO.** Non est ea peccatorum connexio, qui unum commisit, etiam contrahat malitiam ceterorum.

Probat primò auctoritate S. Script. 3. Regum c. 15. ubi dicitur, quòd David non declinaverit ab omnibus, quæ præceperat ei DEUS, excepto sermone Uria, h. e. peccato adulterii, quod commisit cum Bersabea uxore Uriæ, & homicidio commisso in cæde ipsius Uriæ: ergo licet David fuerit reus homicidii & adulterii, non tamen fuit reus aliorum peccatorum.

2. Probat secundò ratione. Si omnia peccata inter se haberent connexionem, tunc etiam objecta peccatorum haberent connexionem, siquidem unitas & distinctio peccatorum ex objecto desumitur, quod per se terminat intentionem peccantis: sed objecta peccatorum non habent inter se connexionem, siquidem sunt bona sensibilia inter se disparata, imò quandoque contraria. Unde.

Probatur tertio. Peccata, sicut & vitia quandoque sunt inter se contraria, veluti constat in avaritia & prodigalitate: sed inter contraria nulla est connexio: ergo.

##### §. II.

*Solvuntur Objectiones.*

3. **O**bjicies primò. Tunc peccata sunt inter se connexa, quando quis unius peccati reus, sit

R. P. Mezg. Theol. Schol. Tom. II.

reus omnium peccatorum, sed ita fit, affirmante D. Jacobo ep. c. 2. *Quicumque totam legem servaverit, offendit autem in uno, factus est omnium reus.*

Respond. distinguendo maj. quando fit reus omnium peccatorum formaliter & ex parte conversionis, concedo; si similitudinariè, aut ex parte aversionis, nego majorem. Unde textus D. Jacobi hæc est explicatio, quòd, qui in uno offendit contra legem, fiat omnium reus, non quasi omnia peccata contrahat, sed quia æquè avertitur à DEO ultimo fine, amittit gratiam, & charitatem, fitque reus poenæ æternæ, ac si alia quæque peccata mortalia commisisset. Item dicitur omnium reus, quia offendit contra charitatem, unde pendent omnia, & quæ est finis totius legis, ut exponit D. Aug. ep. 29. vel etiam, quia est reus violatæ legis divinæ, quæ est collectio omnium præceptorum.

Objicies secundò. Quantumvis virtutes habeant objecta inter se diversa, tamen inter se sunt connexa: ergo etiam non obstante diversitate objectorum, vitia & peccata inter se sunt connexa. Consequentia probatur: Virtutes inter se habent connexionem, quia reducuntur ad unum principium amoris DEI: ergo etiam vitia & peccata habent connexionem, quia reducuntur ad unum principium amoris proprii & propriæ commoditatis.

Respondeo, disparitatem esse, quòd virtutes earumque actus, quomodocunque objecta sint diversa, per prudentiam coordinantur ad unum finem, & bonum rationis; e contra vitia & peccata ordinantur ad fines disparatos, & quandoque oppositos. Ad probationem respondet S. Doctor. ad 3. quòd peccata reducuntur ad sui perversum amorem, tanquam ad principium segregativum, quia amor sui disgregat affectum hominis in diversa, prout scilicet se homo amat

C c 2

appeten-